

R. 82



3464

697

C. 22. n. n.

II.

23

DEO CLEMENTER ANNUENTE!

DE  
**CONDITIONI-  
BUS SPONSALIORUM  
IMPOSSIBILIBUS,**

Bon

Unmöglichen Bedingungen bey Verlobnissen!

ad c. fin. X. de condit. appos.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPĒ AC DOMINO,

D.N.

**FRIDERICO WILHELMO,**  
REGNI BORUSSIÆ, ELECTORATUS BRANDENB.  
AC PROVINCiarum HÆREDE &c.

IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA,  
publice disputabunt

PRAESES

**JACOBUS FRIDER. LUDOVICI,**  
Jurium Licentiatus,

&

RESPONDENS

**JO. FRICERICVS RICHARDVS,**

Corbachia - Waldeccensis,

ad diem XXV. Febr. An. M D CCI. horis locoque consuetis.

HALÆ, Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typogr.





## SUMMARIA.

**C**onsensus in negotiis humanis utramque facit paginam. Præcipue autem in matrimonio, unde inviti non conjugandi §. 1. Consensus matrimonialis in sponsalibus declaratur, ubi de morib[us] veterum. §. 2. Declaratio illa vel sit pure, vel ex die, vel sub conditione. Item vel verbis, vel per scripturam. Verba tamen debent esse clara & perspicua. An pro talibus habenda formula: Iste auch frangens werth? quod affirm, contra Carpzorium. §. 3. Ex die licet celebrantur sponsalia, non autem accurate loquendo, in diem. §. 4. Sponsalia conditionalia. Non debent hæc confundi cum sponsalibus de futuro. Unde communis haec parte Dd. confusio ortum traxerit? §. 5. Conditions sunt vel possibiles, vel impossibilis. Pro possibilibus & licitis etiam ea habentur, que lucrum & pecuniam intendunt. §. 6. Conditions impossibilis hue proprie pertinent. §. 7. Recensetur breviter earum subdivisio, & quid circa illas ius civile statuat, si contractibus adjiciantur. §. 8. nec non, quid tunc juris sit, si ultimis voluntaribus adicella reperiantur. §. 9. quid dicendum de difficilibus & derisoris, si contractibus adjiciantur. §. 10. Formatur status controversæ: An Leges, qua de Contractibus, an vero ille, qua de testamentis disponunt, in sponsalibus sint sequenda? Ilbi prius monstratur: Ratio tam diverse dispositionis. §. 11. & deinde respondetur, idem in sponsalibus obtinere debere, quod in contractibus obineret. An a contractibus ad sponsalia inferre licet? §. 12. Diversa est sententia Juris Canonici. Adducuntur verbæ c. fin. X. de condit. appos. §. 13. Jure Canonico conditions surpes duplicitis sunt generis, alia in genere, alia in specie tales. Harum ultimarum tria diversa exempla adducuntur in d. c. fin. Quomodo

\* (4) \*

do Desselius ea explicet? Rejicitur illa explicatio & alia substituitur.  
 §. 14. Conditiones turpes in specie tales, scilicet Legi divine de matrimonio disponenti adversantes, sponsalia vitiare recte assertit Pontifex. An & de quibus conditionibus in c. fin. sermo sit, varia DD. opiniones. Modus turpis quicunq[ue] pro non adjecto habetur, contra Struvium. Offenditur, Pone siem de veris conditionibus locutum est se §. 15. Conditiones impossibilis facta & turpes in genere secundum jus Canon. pro non adiectis habentur in sponsalibus. Ratio ipsius Pontificis refellitur. Favor matrimonii non potest fingere aut producere consensum, ubi nullus adiest. Explicatur simul, in quo favor ille consistat. §. 16. Removeretur argumentum Desselii pro defendenda juris Can. dispositione adductum. A testamentis ad sponsalia non valeat consequentia. §. 17. Respondetur porro Thome Sanchez. Job. Dicastillo, aliusq[ue]; iocu in foro humano non punitur. §. 18. Sententia Haenoldi, ejusq[ue] suppositum primum, quod exemplo ab heretico baptizante desunto illustrat. §. 19. Secundum & tertium suppositum. §. 20. Haenoldus putat, ideo conditiones impossibilis & turpes pro non adiectis haberi, quia contrahentes se Legibus accommodasse consentur. §. 21. Juvat Haenoldum vulgatum illud: Lex dura, tamen ita scripta, quod tamen hic non posse applicari ostenditur. Quale responsum Philippus IV. Rex Gallie, Pape Bonifacio VIII dederit. Etiam ex ipsis Pontificis nonnulli inconvenientiam doctrinabujas agnoverunt. §. 22. Refutantur supposita Haenoldi, & primum quidem §. 23. Secundum & tertium autem §. 24. Durities dispositionis Canonica. Qui consensum sub conditione impossibili suspendit, non consentit, adeoq[ue] nec amat alteram. §. 25. Objectiones contra sententiam nostram. Prima, quod animum novaturientem illa indicet, ac reformationem juris Canonici intendat. Secunda, quod jus Canonicum in causis matrimonialibus etiam apud Protestantates receptum, adeoque pro eo ubiq[ue] sit pronunciandum. Tertia, quod multi ex DD. Protestantibus dispositionem juris Canonici approbaverint. §. 26. Respondetur his objectionibus: Non omnis novitas est vituperanda. Nec involvit crimen, si quis novos juris Can. offendat. Jus Canonicum nec in causis matrimonialibus in universum est receptum, quod exemplis illustratur. Non obligat, si sane ratione

\* (5) \*

rationi & juri divino contrariatur. §. 27. ¶ Cui Protestantes ex incuria in libros suos multa papizantia intulerunt. Excuditur ratio Carpzovii, quam pro defensione juris Canon. affert. §. 28. Opponuntur deinde autoritati Carpzovii autoritates aliorum Theologorum, in specie Gerhardi. §. 29. & Ictorum, Brunnemanni, Stryki, Thomasi, Struvii. §. 30. Quid de assertione Carpzovii sentiendum, matrimonium non tam à contrahentium consensu, quam Dei voluntate & autoritate dependere. §. 31. Quod si ex aliis conjecturis & circumstantiis constet, eum, qui conditionem impossibilem adjicit, animum contrahendi matrimonium habuisse, conditio illa non attenditur. Illustratur hoc casu aliquo ex Carpzovio. Sponsalia de futuro ex jure Can. transeunt in Sponsalia de presenti, si copula carnalis accesserit. §. 32. Quid si quis aliquam ducat, sub conditione, si certo promittere possit, se non fore sterilem? De jure naturae hoc fieri posset, sed propter jus positivum non licet, nequidem Principi. Alia, si ita contrahatur, modo sponsus non sū impotens, aut sponsa nimis arcta. §. 33. Quid de conditione, si alter Religionem mutaverit, sentiendum? Defenditur banc in foro extirno turpibus non esse accensandam. Quid dicatur turpe & honestum. Respondetur Struvio & ostenditur, DD. confusione considerationem Theologicam cum Iuridica. §. 34. De casu, si Virgo cum sponsalia se inituram esse dicit, qui in duello superior evadit. §. 35. Nibil interest, an in unum ex contrahentibus, & vero in territum conditio impossibilis conseratur. §. 36. Quid si conditio ab initio possibilis fuerit, & ex post facto solum impossibilis evadat. §. 37. Quid sis, qui conditionem impossibilem ab initio adjicit, eam postmodum remittere velit. §. 38. Quid si conditio turpis prater expectationem impleatur? Concluditur Dissertatio cum voto. §. 39.

§. I.

 Um in quibuscunque negotiis humanis consensus Partium utramque faciat paginam, & instar fundamenti ac requisiti substantialis non immerito habeatur; ideo rei gravitas omnino exigit, ut sicubi aliquando dubium incidit,

an & quomodo quis consensum suum declaraverit ; ad circumstantias facti probè respiciatur , iisque mature discussis & ponderatis res dubia arbitrio judiciali de-  
num dirimatur . Præcipue autem in causis matrimonialibus de consensu & intentione contrahentium Judicii plenè constare debet idque exinde , quoniam in iisdem non de acquirendo rei alicujus dominio agitur , sed animorum conjunctio intenditur , quæ sine amore , & hic iterum sine spontaneo consensu concipi néquit , unde stolida est perswasio nonnullorum parentum , liberos contra ipsorum inclinationem aliis despondentium , quasi amor deinde citra omne dubium secuturus sit , das würde sich mit der Zeit schon geben / wenn sie nur einander erst hätten und sähren / daß es doch nun nicht anders seyn könne / ex coactione siquidem nunquam verus amor , sed tristia potius exempla , quæ ubique occurunt . nascuntur . Scilicet , si rem quandam comparavimus , sed postea eandem ad gustum nostrum non quadrare reprehendimus , remedio alienationis nobis consulere possumus ; ast non ita in matrimonialibus , ubi promissiones partium utrinque vinculum indissolubile efficiunt , in tantum ut nec utriusque dissensum à sponsalibus perfectis iterum recedere concessum sit , unde Germani dicimus , ein Weib nehmen/ist kein Pferde-Kauff sed hast du mich genommen/ so must du mich auch behalten / quia maritus & uxor in unam carnem transeunt , non aliter , nisi morte ( ratione scilicet primæ intentionis ) iterum separandam , v. Genes 2. v. 24. Matth. 19. v. 5. & 6. Recchè ergo conqueritur Pamphilus ille apud Terent. Andr. 1. act. 1. scen. 5. de gravi injuria sibi illata , Proh Deum , inquit , atq; hominum fidem , quid est , si non hæc contumelia est ! Uxorem decrevit sese mihi dare hodie , nonne oportuit præscisse me ante ? nonne communicatum oportuit hoc-

\* (7) \*

*it? hoccine est humanum factum, aut incepsum? hoccine officium patris? addet. 30. ff. R. f. aliasque.*

§. 2. Consensus autem matrimonialis in *Sponsalibus* declarari solet. Quamvis enim Partibus denegari haud pos sit, si uno eodemque tempore matrimonium plenè consumare velint; invaluerunt tamen mores, ut sponsalia nuptias præcedant; in iisque *animorum*, in hisce vero corporum conjunctio direceti intendatur. Ex quo con sequitur: jureconsultum in terendo super controversiis matrimonialibus maturo judicio ante omnia ad naturam & qualitatem Sponsaliorum respicere debere quare eadem, ( perinde ut de nuptiis alias loqvuntur JCTi, ) consensu contrahentium fieri, afferit Julianus in l. 11. ff. de *Sponsal.* imo olim, ut eò clarius de consensu constaret solen nis stipulatio & sponsio requirebatur, unde *Sponsarium*, *Sponsi* item & *sponsæ* appellatio descendit l. 2. & 3. ff. de *Sponsal.* Gener enim sacerorum futurum interrogabat: Mihine despon des filiam? ad quod ille: Spondeo v. *Plautem in Aulularia* act. 1. scen. 4. & alios apud Gothofr. in not. ad d. l. 2. & 3. hinc, si postea alteruter ex despontatis promissa implere recusabat, *adchio de sponsu*, i.e. ex stipulatu, contra eundem insti tuebatur, Cujac. ad tit. C. de *sponsal.* aliquie apud *Illustr. Dn. Strykium de invest.* act. sect. 1. Membr. 2. §. 27. & præcipue in tr de diffensu *sponsalitio* sect. 1. §. 6. 7. 8.

§. 3. Declaratio consensus matrimonialis variis modis fieri consuevit, vel *pure*, vel *ex die*, vel *sub conditione*. De consensu puro nullum dubium superest, sed exinde statim, quam primum declaratio facta, firma nascitur obli gatio. Nec refert hodie an quis verba ore pro lata, an scripta adhibuerit, an exprefse, an tacite consenserit, v. l. 4. 7. & 12. ff. de *Sponsal.* modo circa verba observetur, ea non debere obscura, ambigua & flexiloqua esse, sed con sensum

sensum sponsalium aperte probantia, pro quibus etiam  
 reputamus, si virgo juveni interroganti, an matrimonii  
 um cum ipso inire velit? respondeat: Ist es auch fragens  
 werth / contra *Carpzovium p. 4. Const. 20. Def. 9.* qui ejusmo-  
 di verbis vim liquido probandi consensum istum plane  
 denegat, subjungens Responsum Scabinorum Lipsien-  
 um verbis sequentibus conceptum: Ob gleich die Jung-  
 frau / von der eure Frage meldet / als ihr Sie gefraget / ob  
 Sie euch haben wolte / mit diesen Worten geantwortet:  
 Its auch fragens werth? So mag dennoch aus solchen  
 Worten keine verbindliche Ehegeldbnis genommen oder  
 geschlossen werden / V. R. W. Sicuti enim in hoc Re-  
 sponso nulla prorsus ratio decidendi adducitur, sed præ-  
 missæ cum conclusione unum sunt idemque: ita nos pla-  
 ne persuasi sumus, adductam illam loquendi formulam  
 nihil obscuritatis, ambiguitatis aut dubii in se continere,  
 idque exinde, quia communis loquendi usus, eidem sen-  
 sum affirmativum hactenus omni tempore tribuit. Idem  
 enim est, ac si dicerem: die Sache ist ja so gewiss / das ihr  
 nicht einmal darnach hätten fragen dürfen/sondern es oh-  
 ne dem schon wissen können. Negamus ergo falsum *Carp-*  
*zovii* luppositum: *Verba hæc adeo dubia & obscura esse, ut in si-*  
*nistram quoq; partem & negative accipi queant;* Fitnamq; hoc  
 rarissime, prout mos loquendi, ad quem iterum provoca-  
 mus, abunde comprobatur. Non autem ex iis, quæ rarissi-  
 me sunt, regulam formare convenient, alias quippe nec  
 ipsa responso: Ja / Ich will euch haben / liquida esset ac clara,  
 quia interdum ironice eandem adhibere notum est. Imo  
 nec ipsa *Carpzovii* assertio, quam mox subjungit, subsiste-  
 ret, dum dicit: *Aliud forsitan dicendum fuisse, si ad questionem*  
*verbis expressis non respondisset, sed tacendo & annulum accipi-*  
*endo tacite consensisset;* utique enim hæc taciturnitas & ac-  
 cepta-

\* (9) \*

ceptatio dubia esset, quia ab eadem ad sponsalia firma non ducitur consequentia. Respondebit forte, hanc ipsam acceptationem ex praecedenti interrogatione explicandam esse; sed tunc proprio eundem jugu abimus gladio, quid enim impedit, quo minus & formula illa eodem modo interpretationem capere poscit, cum in rebus seriis contrahentes *in dubio*, & nisi aliud evidenter appearat, ludere voluisse, aut verba in sensu minus frequentato accipere voluisse, haudquaquam præsumantur. Consentit nobiscum Pomeresch, ad rubr. I. de Nupt. cuius tamen rationem, quod scilicet illa formula pro affirmatione habeatur, ob favorem matrimonii, probare non possumus. Nisi enim alias affirmationem involveret, certe favor matrimonii ejus significatum mutare non posset, quia in coniunctione matrimoniali de consensu contrahentium liquido constare debet.

§. 4. *Ex die* celebrantur sponsalia, quoties quis intra certum temporis spatium aliquam ducturum esse promittit, e. gr. Ich will sie innerhalb zweyzen Jahren heyrathen/ ubi Sponsæ jus agendi contra sponsum non competit, nisi tempore adjecto prorsus elapsa, quippe quod in gratiam promittentis adjectum erat, atque adeo hic obligationi satisfacit, modo ultima biennii die sponsam ducat, cont. §. 2 I. de V. O. §. pen. I. de nut. stipul. Quamvis autem communiter DD. ejusmodi sponsalia in diem contracta dicere consueverint, accuratius tamen non phrasin: *Ex die*, usurpari statuimus, quia altera illa, *in diem*, negotium statim perfectum, & post certum tempus iterum desitum denotat, qualia sponsalia valide non contrahuntur, e. g. Sie soll meine Braut/ oder meine Frau/ auff drey Jahr seyn/ sed contracta simpliciter subsistunt & dies detrahitur, quia in contrahentium arbitrio non est,

B

spon-

sponsalia semel perfecta, ex postfacto iterum resolvere. At vero, ut promissio nostra post certum demum temporis spatum alteri jus contra nos cum effectu agendi tribuat, tam in aliis conventionibus, quam in sponsalibus licite fieri potest.

§. 5. Denique *sub conditione* contrahi dicuntur sponsalia, quando *ex eventu futuro incerto* consensus noster suspenditur. Et haec quidem in praesenti proprius ad scopum nostrum pertinent. Neque tamen de explicando *ipsius conditionis* natura valde solliciti erimus, quoniam scilicet hic nobis otium jam fecit *Excell. Dn. Thomasius in Disp. Lips. de Filio, sub conditione, si se filium probaverit, herede instituto. c. 2.* ubi omnia huc pertinentia fuse & solide discussa reperies. Unicum saltem, & quidem obiter, notabimus, cavendum hic esse a communi fere DD. errore dicam? an opinione, sponsalia haec conditionata & sponsalia, qua Jus Canonicum *de futuro* vocat, misere confundentium *v. Carpzov. Jurispr. Eccl. l. 2. def. 20. n. 4. Lauterbach. in Comp. Jur. tit. de Sponsal.* quam opinionem quoque, quod miramur, *Vir Consultissimus, Dn. D. Beyerus in pos. ad Inst. de Nupt. pos. 66.* adhuc secutus est. Maxima siquidem inter haec duo intercedit differentia, cum sponsalia de futuro nihil aliud sint nisi meri tractatus, adeoque plane nullam; sponsalia autem conditionata ad expectandam conditionem omnino validam inducant obligationem, adeoq; alter invito altero, dum conditio pender, ab eodem resistire nequeat, quod in sponsalibus de futuro semper licetum est. Sed cum haec iterum jam expediverit plenius *Exc. Dn. Thomas. in Disp. Lips. de Validitate Conjugii, invitatis parentibus contracti & per benedictionem sacerdotis depositi consummati v. 5.* ideo plura non addemus, sed hoc solummodo observabitim, confusionem hanc insigne præbere speci-

specimen , quam felix patria nostra ob tot diversa exotica jura in foro ejus introducta , salutari possit : quanti etiam referat , J C tum prudentia & judicio discretivo gaudere , ne omnia , quae in jure Romano aut Canonico habentur , adhuc hodie apud nos obtainere sine ratione statuat . Putarunt quippe , distinctionem iater sponsalia de praesenti & de futuro , necessario apud nos etiam usum habere debere , adeoque quia sponsalia de futuro in sensu juris Canonici , propter diversitatem idiomatis Latini & Germanici , moribus nostris applicari minime posse deprehenderunt , sponsalia quoque impuberum inter privatos praesertim rarius celebrari assolent , nihilominus tamen ex ipsorum hypothesi & inter privatos jus Canonicum usum habere debet ; ad remedia extraordinaria confugerunt , sponsalia conditionata in sponsalia de futuro transformantes .

§. 6. Conditiones ipsas quod attinet , prima earum divisio est , qua in *possibiles* & *impossibiles* dispeccuntur . De licentia , seu potius validitate conditionum possibilium nemo dubitat , quibus merito accensentur etiam conditiones lucrum aliquod , vel pecuniam inferendam intendentes , v. g. *Ducam te , si aliquot millia thalerorum dotis nomine mihi attuleris , si pater tuus officium mibi procurabit , &c.* prout recte contra dissentientes tuetur *Carpz. Jurispr. Eccl. l. 2. def. 22.* Si enim nihil vitiosi involvit , quando virgo conditionem adjicit : *Nubam tibi , si Consul , aut Doctor , &c. factus fueris* , quam nemo , quod sciam , impugnat : unde , quæso , potest demonstrari , conditionem lucrum intendentem contra bonos mores impingere ? Certum quidem est , amorem non debere venalem esse ; at vero si nihilominus venalis exponitur , talis turpitudo non admittitur , ob quam in foro exteriori pena imponi queat . Plurima

rima alias hodie irrita fierent sponsalia, ubi haud raro juvenes vetulas ob sanctum denarium sibi jungunt thorificias, licet dentibus non amplius gaudeant. Et si prohibita esset conditio lucrum intendens, cur non eodem jure conditionem ambitionem foventem contra bonos mores impingere, dicendum foret?

§. 7. Hæc ergo minus dubii habent. Ast circa *conditiones impossibilis* paulo accuratori inspectione opus est, ob dispositionem juris Romani & Canonici non parum quoad causas matrimoniales hac parte variantem. Quamvis autem directo ad scopum nostrum non faciat, adduxisse, quid in contractibus & ultimis voluntatibus circa has ipsas conditiones jura fiant; ad meliorem tamen controversie intellectum non parum conducturum esse arbitramur, si quando plurimum hic discrepantes constitutiones historicè saltem, adeoque breviter in præsenti recenlemus, quod adeo jam præstituri sumus.

§. 8. Primo loco occurunt *conditiones impossibilis contractibus adjectæ*. Ubi ita distingvunt leges: impossibilitas oritur velex ipsa rei natura, vel ex dispositione legis, hinc conditiones aliae simpliciter s. factio impossibilis, aliae turpes, aut lege, vel moraliter etiam impossibilis vocantur. Utraq; porro vel affirmative, vel negative adjiciuntur. Conditiones impossibilis factio affirmative adjectæ, v. g. Si cælum digito tetigeris, si Salam ebiberis, quemcumq; contractum vitiant, §. II I. de Inut. stip. procul dubio enim in hujusmodi actu talis cogitatio est, ut nihil agi existimat, apposita ea conditione, quam sciunt esse impossibilem, ut loquitur JCtus in l. 31. ff. d Oblig. & Action. quo etiam facit vulgatus Logicorum Canon: Conditionem impossibilem vim negandi habere. Quod si negative adjectæ, v. g. Si Salam non ebiberis, si cælum digito non tetigeris, pure facta obligatio intelligitur, ideoque promissum

missum statim peti potest, d. §. II. I. de inut. stip. Si enim impossibile est tangere, necesse est non tangere, inquit acutè Aristoteles de interpr. c. 13. & post eum Pacius ad d. §. II. unde conditionum necessarium nomen sortitæ sunt. Contra conditiones turpes five affirmative, v. g. si Cajum occideris, si furtum commiseris, five negative adjectæ fuerint, v. g. si Cajum non occideris, si furtum non commiseris, utroque casu vitiant promissionem, v. l. 35. §. 1. ff. de V. O. & quidem negativæ adjectæ ideo, quoniam in eo, cui tali modo aliquid promittitur, turpitudo deprehenditur, cum turpe sit pro scelere non admittendo mercedem pacisci vel accipere, v. l. 7. §. 3. ff. de pax. Gratis enim probum esse decet. Atque adeo, ne alter ex turpitudine sua lucrum capiat, Leges concedunt, ut conditione ob turpem causam illud quoque quod jam ex ejusmodi promissione solutum est, iterum repetere posimus, l. 2. l. 4. §. 2. ff. de condic. ob turp. cauf.

§. 9. In materia ultimarum voluntatum sequentes dispositiones occurunt. Conditions impossibilis *natur. factio* tales, five sicut negativæ, five affirmativæ, vitiantur, id est, pro non scriptis habentur. Ergo Titius sub hac conditione institutus, si colum digito tetigerit, hereditatem statim consequitur, §. 10. Inst. de her. inst. quod eodem modo in legatariis & fideicommissariis obtinet, e. g. Titio decem do lego, si mare exhauserit, d. §. 10. si ipsorum personæ conditio adjecta fuerit. Multum tamen interest, an hæ conditiones *toto generi humano*, an *certis tantum individuis impossibilis* sint, v. g. Titius (qui est homo egenus) heres esto, si eo momento, quo se heredem scriptum resciverit, Cajo aliquot millions solverit; Hæ ultimæ enim, quæ à DD. communiter difficiles appellari solent, tanquam conditiones veræ subsistunt, adeoque præcise sunt adimplendæ,

& si non impletur, institutio evanescit, v. l. 4. §. 1. ff. de stat. lib. Quae antea de conditionibus facto impossibilibus diximus, eodem modo circa conditiones turpes obtinent, id est, habentur & haec pro non adiectis, l. 14. & 15. ff. de condit. instit. Et haec quidem, si ejusmodi conditiones affirmative adiectae sint, in Legibus clare disposita reperiuntur. Sed quid si sint negative conceptae, v.g. Titius heres erit, si Cajum non occiderit, si furtum non fecerit? Tacent hic DD. quotquot nobis evolvere licuit, neque etiam Leges adesse constat, quae hac parte aliquid decidant. Nostram ergo mentem subjiciemus. Putamus vero, conditiones tales negativae adiectas pariter ut affirmativas pro non adiectis haberi, adeoque hic iterum inter contractus & ultimas voluntates ingentem intercedere differentiam. Siquidem in Contractibus alter, cui promissio fit, praesens adest, & intuitu promissionis factae delictum intermittit, quod utique turpitudinem involvit. Ast in ultimis voluntatibus promissio in absentem, & plerumque ignorantem dirigitur, qui & si postea delictum, quod in conditione erat, intermittit, id non spe lucri, sed sponte potius intermisso creditur, quia presumptio semper est in meliorem partem. Referuntur autem ad conditiones istiusmodi turpes, seu contra bonos mores impingentes, adhuc aliae quas derisorias appellant Legum interpres, v.g. Titius heres esto, si reliquias meas in mare abecerit, si nudus in foro saltaverit, &c. vid. l. 27. ff. de cond. instit. Pac. ad §. 10. f. d. t. quae quidem potius in decorum, quam in ipsis Leges impingunt, adeoque stricte loquendo turpes non sunt, attamen & Legum dispositione prioribus æquiparantur.

§. 10. Vides, in materiis ultimarum voluntatum Leges diligentius separate a se inyicem diversa conditionum

onum genera , quam in contractibus . De derisoris enim , quantum quidem nobis constat , in materia contractuum nihil reperitur . Ast quemadmodum *difficiles* non minus in contractibus , quam ultimis voluntatibus pro veris conditionibus reputatur , vid . l . 55 . ff . de act . emt . & vend . ita e contrario quoad derisorias in contractibus plane aliam decisionem afferendam esse autumamus , quam in ultimis voluntatibus . In his , ut vidimus , pro non adjectis habentur . In illis autem non magis promittentem sub ejusmodi conditionibus obligari statuimus , quam si conditiones turpes adjecisset . Jocose enim facit , qui ita promittit , dum certo persuasus est , alterum ejusmodi conditionem nunquam esse adimpleturum . Sed ex promissione jocosa nulla oritur obligatio . Idque obtinere censemus , five affirmative , five negative , v . g . *si nudus in foro non saltaveris* , conditio adjecta fuerit . Utrumque enim ex joco proficiuntur , quia certo confidimus , alterum ejusmodi actionem non esse suscepturum , etiamsi nihil promissum suisset . Imo licet casum , qui tamen rarus est . supponere velis , ubi certo constaret , eum , cui promittitur , in schola Cynicorum morum doctrinam haussisse , neque tunc etiam promissionem ejusmodi valere existimamus , quia licet penes accipientem turpitudo proprie dicta non adest . Leges tamen hac parte ea quæ sunt contra decorum turpibus æquiparant , ut § . *præced.* vi- dimus .

§ . II . Habes jam in compendio varias juris Romani circa conditiones impossibilis in negotiis inter vivos & mortis causa celebratis , dispositiones . Unde nunc porro succedit quæstio principalis , quæ in præsenti nobis erenda venit : *quænam dispositio in conditionibus impossibilibus* .

*flōra*

*sponsalibus adjectis, præferri debeat, an illa, quæ easdem tanquam non adjectas declarat, an vero altera, quæ promissiones sub conditionibus impossibilibus factas nullam obligationem producere affirmat? Sed ad hanc, quæstionem accurate respondere non possumus, nisi prius fundamentum adduxerimus, ex quo tam discrepans juris Romani decisio promanavit. Faciemus autem hoc ipsum verbis Mœcenatis nostri, illustris Strykii, qui in tract. de dissensu sponsalit. Seçt. 2. §. 21. hac de re sequentem in modum differit: In Contractibus, inquit, imputet sibi alter, quod conditionem impossibilem admiserit, & puriorementis declarationem non usurrit. At vero in testamentis copia contradicendi non datur, cum regulariter absente bærede vel Legatario disponat testator, hinc Lex benigna interpretatione, ob præsumtam testatoris voluntatem, quod noluerit dispositionem suam sine effectu esse, obstaculum implementi removet, & benignius seu plenius ultimum interpretatur elogium, l. 12. ff. de R. f. quod non facere potest in negotiis ab utriusque voluntate dependentibus, ubi sibi imputet, alter, quod non melius sibi voluerit cautum, puram promissionem urgendo, l. 9. §. 3. inf. ff. de pign. act. Gonzalez Tellez ad c. f. X. de condit. appos. n. 6.*

§. 12. His ita præmissis, ad quæstionem propositam facili negotio responderi posse arbitramur. Regula est: *Voluntas promittentis plenisime est interpretanda, & hæc regula in ultimis voluntatibus locum invenit, quapropter conditions impossibilis heredis institutioni aut Legatarii personæ adjectæ vitiantur, nec ullum effectum post se trahunt. Sed subjungitur limitatio: Nisi illi, cui promissio facta, simul aliquid imputari queat, id quod in contractibus, secundum ea, quæ in §. prec. adduximus, semper fieri potest. Ergo sponte sua sequitur consecutarium: Quocunque circa conditions impossibilis, turpes & derisorias in contra.*

contractibus juris est, id eodem quoque modo in sponsalibus circa  
easdem obtinere debet. Unde non opus est, ut singula ite-  
rum recoquamus, sed ad ea, quae paulo ante §. 8. & 10. ar-  
tulimus, nos simpliciter remissile sufficere poterit. E-  
gregia vero, objicis, est illatio tua; annon legisti unquam  
questionem apud DD. an sponsalia sint contractus? & si  
eam legisti, annon simul observasti, omnes in universum  
sententiae negativae subscribere? quia in nuptiis non est  
res ad commercium habilis, illatio ergo tua parum fir-  
mitatis habebit, cum à diversis ad diversa procedat. Quid  
nos ad dubium hoc, non minus tritum, quam prima  
fronte etiam satis prægnans? Respondemus verò, adesse  
quidem diversitatem ratione objecti, quod utique aliud  
est in contractibus, aliud in sponsalibus, atque adeò  
sponsalia, aut, si mavis, nuptias, contractum in sensu  
juris Romani dici neutiquam posse, licet nihil in-  
volvat, quo minus contractus juris Gentium appellari  
queant; ratione autem illius fundamenti, quod nos pro rati-  
one decidendi substravimus, diversitatem adesse, constanter  
negamus. Scilicet illud fundamentum desumptum erat  
non ab objecto, sed à presentia utriusque partis, quam con-  
tractus, aut si hic terminus non videtur accuratus, con-  
ventio illa principaliter tangit, & exinde inferebatur,  
eum, qui præsens fuit, nihilominus tamen alterum, cum  
quo ipsi res est, conditionem impossibilem promissioni  
adjicere passus est, habere, quod ipsi sibi imputari pos-  
sit, adeoque non aliter præsumendum esse, quam quod  
utraque pars non ferio, sed jocose rem peregerit, & per  
consequens neutra alteram obligatam esse voluerit. Hac  
parte autem, quia non solum contractus de jure Roma-  
no tales, sed etiam sponsalia, inter præsentes & mutuo  
consentientes peraguntur, utrobique eandem indolem

C

subesse

subesse, adeoque ab illis ad hæc propter rationis paritatem  
validæ inferri posse firmiter persuasi sumus.

§. 13. Concludimus hinc conditiones impossibilis  
quascunque juxta principia Philosophiae rationalis, ju-  
ris naturæ & juris civilis Romani, quod hac parte, ut a-  
lias sepe, dum jure naturæ coincidit, promissionem in  
sponsalibus prorsus evertere & irritam reddere. Atque  
possemus adeo Disputationi nostræ optimo jure colopho-  
nem imponere. (nec enim crimen Academicum invol-  
veret, etiam si Disputatio duas plágulas non excederet,) si ut alia Provinciæ, Germania etiam nostra uno Legum  
genere uteretur. Sed quoniam Patria & hic non parum  
*irregularitatis* habet, (licet hoc vocabulum cum pace  
Aristotelicorum, de quo solemniter protestamur, provo-  
ce *mixturae* substituere;) dum in causis matrimonialibus  
principie jus Canonicum tanquam regulam agnoscit,  
ergo ante omnia dispiciendum erit, utrum & hoc deci-  
sionem nostram approbet, atque ita de plenaria ejus evi-  
dentialia atque veritate gloriari possumus. Quis vero,  
quamdiu Corpus juris Canonici clausum jacet, sibi ima-  
ginaretur, aliam ibidem sanctionem reperiri, cum ea,  
quæ jus civile constituit, cum principiis philosophiae ra-  
tionalis convenire dixerimus. Neque enim credendum  
est, pro Philosophia rationali Pontifices Romanos, præ-  
tentos illos servos servorum Dei, irrationalē aliquam  
substituisse. Sed evolve, quælo, ipsum juris Canonici  
corpus, & lege, quæ *Gregorius IX.* Papa in *in c. ult. X. de con-*  
*dit. appos.* hac de re scripta reliquit, atque tunc eundem  
in omnia alia prorsus abire deprehendes. Hæc autem  
funt ejus verba: *Si conditions contra substantiam Conjugii in-*  
*ferantur, puta, si alter dicat alteri: Contraho tecum, si generati-*  
*onem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel faculta-*  
*tibus ditiorem, aut si pro qua studi adulterandam te tradas: matr-*  
*monii*

monii contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu.  
Licet aliae conditiones apposita in matrimonio, si turpes aut impossibilis fuerint, debeat propter ejus favorem pro non adjectis haberi.

§. 14. Ex hisce verbis primum apparet, Pontificem distinctioni conditionum impossibilium, quam supra §. 8. innuimus, adhuc novam subdistinctionem super addidisse. Scilicet conditiones *lege impossibilis* si turpes duplicitis generis facit. Aliae enim sunt in genere tales quæ legi cuicunque contrariantur, e.g. *contra te cum, si furtum feceris, homicidium perpetraveris, incantationem magicam ad promovendum eo citius rei familiaris incrementum didiceris*: aliae autem in specie, quæ Legi divinae positivæ de matrimonio disponenti adversantur, quarum tria distincta exempla in cit. cap. adducuntur. Etsi autem *Valerius Andreas Desselius*, Professor Lovaniensis, in *Erotematibus juris Canonici l. 4. Tit. 7. qv. 2.* exempla illa hoc modo ab invicem distinguit, ut dicat, primam conditionem: *Contra te cum si generationem prolis evites, esse contra bonum matrimonii seu prolis; secundam autem: Contra te cum, donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem, contra Sacramentum; & tertiam denique: Si pro quaestu adulterandam te tradas, esse contra bonum fidei;* Hæc tamen Desselii inventio partim obscuritate laborat, (omnes tres enim conditiones certo respectu contra bonum matrimonii & fidei impingere dici possunt,) partim vero Papismum ejusque doctrinam de Sacramento matrimonii, verbo Dei contrariam adeoque a Nostrisibus diu merito rejectum, sapit, unde melius forsan dicitur, conditiones istas in capitulo recensitas tribus requisitis in Lege divina positiva expressis oppositas esse. Voluit siquidem benignus Creator, nuptias esse debere conjunctionem (1.) unius maris & unis foeminae, eamque (2.) individuum &

(3) ad procreationem sibi solis directam. Ultimo huic requisito opposita est conditio Pontificis prima, secundo seunda & denum prima tertia.

§. 15. Jam videamus, quid de decisione Papæ statuendum, & an eadem approbanda, annon. Quemadmodum autem ipse Papa distincte loquitur, ita & judicium nostrum distincte subjungendum erit. Ergo quantum primo ad conditiones Legi divinæ positivæ de matrimonio disponenti adversantes attinet, dum Papa dicit, easdem vitiare sponsalia, quantumcunque etiam favorabilis sit matrimonii contractus, decisionem hanc omnino justam & principiis supra §. 8. 10. & 12. traditis, convenientem existimamus. Torquent se quidem haud leviter DD. circa explicationem hujus Pontificiaæ dispositionis, dum *Cypreas* & *Brouwerus* Papam non de sponsalibus, sed de contracto jamdum matrimonio intelligendum volunt: *Gonzalez Tellez* autem aliique eundem non de suspensiva, sed resolutiva conditione agere afferunt; verum his jam satisfecit *Illiustris Dn. Strykius de diff. spons. sedz. 2. §. 22.* ostendens, quod, quemadmodum matrimonio semel contracto nec honestissima conditio adjici potest, ut efficaciam habeat, atque adeo multo minus turpis ejusmodi conditio effectum sortiri valet: ita quoque, si Pontificem de conditione resolutiva interpretari velimus, afferendum foret matrimonium sub hac conditione consummatum, si aliam digniorem invenero, nullum aut dissolvendum esse, si postea dignior inveniatur, quod tamen adstruere nemo ne quidem ex mente Pontificis audebit. Alia mens post *P. Adversam*, & *Juristas Salmantenses quosdam*, (de quibus *Haunoldus de J. & J. Tom. 3. Tract. 8. cap. 4. §. 278.*) est *Struvii in S. I. C. Ex. 29. thes. 8.* qui Pontificem non de conditione, sed modo impossibili agere existimat, propte-

propterea quod textus tantum de talibus loquatur exemplis, quæ non nisi post perfectum & consummatum matrimonium adimplenda essent, nisi turpitudinem continerent. Sed & hanc explicationem à mente Pontificis abludere putamus, cum non solum ex ipso capitulo in §. 13. adducto, sed & toto titulo *de conditionibus appositis* patescat, eundem non de modo, sed de conditione agere. Et si de modo locutus esset, qua ratione dicere potuisset, hunc modum sponsalia vitiare, cum potius pro non adjecto haberi debuisset. Putat quidem *Struvius*, quod talem modum adjiciens, qui pugnat cum ipsa matrimonii natura, non videatur habere animum contrahendi matrimonium, quod simul cum isto modo subsistere nequit. Ast quod pace B. Viri dictum sit, ista explicatio cum natura modorum adjectorum pugnare videtur, qui nunquam suspendunt obligationem, multo minus eandem infringunt, sed si turpitudinem aut impossibilitatem involvunt, pro non adjectis habentur. Sed dicit: censetur jocatus esse, qui talem modum adjicit; sed respondeo, si hoc, cur non & in eo jocus præsumitur, qui alium, quemcunque modum turpem adjicit, cum tamen sciat, nec hunc ab altero impleri posse, nihilominus autem hunc pro non adjecto haberi ipse fatetur Vir dum vive ret celeberrimus. Exempla ergo à Pontifice adducta hunc sensum habere credimus: *Contraho tecum, si valide mibi promittere potes, te generationem prolis esse evitaturam, aut te iterum a me esse discessuram, si aliam facultatibus vel honore ditionem inventam, nec non pro quaestu te adulterandam esse tradituram.* Vides jam liquido naturam conditionis suspensivæ, & simul promittentem non serio, sed per medium jocum hæc dixisse deprehendis, unde promissioni omnis vis merito denegata.

§. 16. Jam porro etiam decisum Papale circa *condi-*  
*tiones turpes in genere & impossibiles factio* sub censuram re-  
vocabimus: in hoc enim nobis cum Papa plane non con-  
venit, dum illas pro non adjectis haberri afferit. Primo  
autem cum ipso Autore *capituli*, ipso summo Pontifice,  
nobis pugnandum erit. Res quidem periculi plena, non  
tamen desperata. Scilicet, tota decidendi ratio in hoc  
consistit, *conditiones illae pro non adjectis habendae sunt,*  
*propter favorem matrimonii.* Idem est, ac si tum communi  
DD. Schola dixisset Pontifex, *Favorabilia sunt extendenda.*  
*Matrimonium est favorable, Ergo est extendendum.* Quemad-  
modum autem jam antea Excellentissimus Vir, Dn. Tho-  
masius, contra Dn. Placcium ostendit, majorem istius Syl-  
logismi, id est, commune illud brocardicum de favora-  
bilibus extendendis, dono obscuritatis laborare & nova  
iterum explicatione opus habere, ut adeo fundamenti  
loco in decisione controversiarum substerni neutiquam  
possit, (v. Historiam controversiae in append. ad Inst. Ju-  
rispr. div. 1. 2.) Ita ulterius in praesenti monstrabimus,  
quam male illud hic applicetur, licet alias inter justae  
interpretationis regulas referri posset. Matrimonium di-  
citur res favorabilis. In quo autem ille favor consistit?  
Non possumus aliud quid hariolari, quam quod in eo la-  
teat, ut Res publica numero incolarum augeatur & simul  
interesse Principis incrementa capiat, quod tamen eo  
usque extendi nolumus, ac si quilibet ex jure naturae prae-  
ceptivo ad ineundum matrimonium obstrictus sit, & ille,  
qui uxorem vel potius plures uxores non ducit, opus  
domini negligenter faciat, adeoque maledictus sit, pro-  
ut circa medium elapsi leculi nugabuntur Johannes Ly-  
serus sub nomine Sinceri Wahren-Bergs in dem kurzen  
Gespräch von der Polygamie. Esto itaque, hoc sensu ma-  
trimo-

trimonium inter favorabilia referri posse, vel potius debere, an exinde inferre poteris. Ergo etiam inviti & non consentientes sunt conjungendi? Propositio enim Matrimonium, seu consensus matrimonialis est extendendus, licet ab altera parte conditio impossibilis adjecta, adeoque promissio seria non fuerit, quod tamen in omni conventione juxta notissima juris principia requiritur, illa, inquam, propositio nihil aliud significat, quam haec, quo modo allata, scilicet eos quoque, qui tamen serio non consenserunt, sed joco egerunt, adeoque invitatos & non consentientes matrimonio jungendos esse. At verò si hoc concedendum, idem, quoque in omnibus contractibus obtainere debet. Nam & hi eo sensu favorabiles sunt, quia si nemo mecum contrahere veller, multis rebus me carere oporteret, quibus tamen maxime indigeo. Et commercia ad incrementa Reipublicæ præcipua ab omnibus vulgo referuntur. Sed hoc nemo sustinere audebit, cum potius, contractus ab initio voluntatis esse, Jcti uno ore affirment omnes. Ergo licebit nobis argumentum Papale hoc modo inverttere: *Odiosa sunt restringenda: corjungere eas personas, qua in matrimonium non serio consenserunt* (quod ex conditione impossibili & turpi adjecta clare colligitur) *est odiosum* (secundas enim lites parit & gehennam maximopere ædificat, ut exempla quotidiana testantur, vid supra §.1.) Ergo laetconjunctio est restringenda, id est persona qua sub conditione ejusmodi consenserunt, seu potius non consenserunt, non sunt ad ineundum matrimonium arctandæ.

§. 17. Hæc ad infringendam rationem Pontificis, ut putamus, sufficere poterunt. Prodeant jam in scenam ejus detensores. Primus erit, quem jam antea §. 14. citavimus, *Val. Andr. Desselius*, qui in *Erotematibus juris canonici*

nici l. 4. Tit. 5. qu. 3. sequentem in modum philosophatur:  
*Si consentias, inquit, in talis factum, v.g. ducam te, si patrem occideris, si dixito cœlum te tingeris, quia substantiam matrimonii non afficit hæc conditio, habetur pro non adjecta, idque favore matrimonii, ut potius valeat, quam non valeat.* Id quod, pergit, & in ultimis voluntatibus observatur, quas plenissime interpretari solemus. Neque præsumitur quis in ultima sua voluntate aliquid joco dixisse. Ut neque qui contrahit matrimonium cum aliqua, præsumi debet joçari, sed serio agere, licet vel turpem, vel impossibilem conditionem adjecterit. Hæc ille. Quemadmodum autem quoad ea, quæ de favore matrimonii infarcit, Delfelium ad §. præc. & responsionem ibi datam remittere possumus, ne idem tædiose bis repetamus: ita, quando ab ultimis voluntatibus ad sponsalia argumentatur, consequentiam simpliciter negamus, quoniam non melius cohæret, quam ea, quæ à baculo ad angulum procedit. Rationem differentiæ dedimus supra §. 11. quo nos brevitatis amore iterum remittimus, licet quoque quoad ipsas voluntates ultimas inter veteres JCtos dissensiones fuerint, atque nonnulli etiam has adjectione conditionis impossibilis vel turpis vitiari non sine ratione existimaverint, ut videre est apud Dn. Thomasum in cit. Diff. de Filio. sub. condit. instit. si se filium probaverit, C. 2. §. 9.

§. 18. Succeedunt Thomas Sanchez, Castro-Palao, Job. Dicastillo, aliique allegati à Christ. Haunoldo, Jesuita & Professore Ingolstadiensi in Tract. de justitia & jure Tom. 3. Tract. 8. c. 4. n. 277. Hi præsumptionem Pontificis in honorem matrimonii rationabiliter in hoc fundari dicunt, *quod quando de opposito non constat, nemo præsumatur aut velie pecare, aut in re adeo gravi & sancta velle suum actum reddere irritum.* Et supponunt porro Pontificem tantum loqui de conditionibus impossibilibus ita adjectis, ut contrahentes sciverint, esse

*esse impossiles, & nihilominus easdem adjecterint.* Sed hanc explicationem merito ipse rejicit citatus Haunoldus. Peccat enim ille, sunt ejus verba, qui sciens impossibilitatem conditionis, eam nihilominus tamen promissioni adjicit, volens eandem habere pro non adjecta. Tales malitiosos homines, addit, Pontifex non voluit defendere. Hec est responsio Haunoldi. Nostamen & hoc modo responderi posse arbitramur. Non est quidem laudandus, qui in gravi ejusmodi negotio jocatur, cum seria ferio tractare conveniat; interim tamen, si nihilominus quis jocum adhibet, tale peccatum aut malitiam neutiquam admittit, quæ in foro exteriori puniri queat. Imo, licet poenam mereretur, non tamen talis poena imponenda foret, quæ non medicinam, sed ulterius peccatum necessario involveret, quale ex coniunctione eorum, qui non consenserunt, non posse non ori aliquoties diximus.

§. 19. Sed audiamus jam, quæ ipse *Haunoldus loc. cit. num. 282. seqq.* pro stabilienda Juris Canonici decisione in medium profert. Primo dicit, *supponendum esse, quod quando duæ concurrunt intentiones contrariae, illa prævaleat, quæ est magis efficax & primaria*, quod suppositum illustrat per exemplum ab hæretico baptizante desumptum, qui quidem non vult imprimere characterem indelebilem, nec infundere habitus supernaturales, (prout juxta doctrinam pontificiam, catholicam & orthodoxam, si Diis placet, facere debeat, vult tamen conferre baptismum cum omni fructu, adeoque baptismus ab hæretico peractus sustinetur, nec ita baptizatus rebaptizari debet, modo hæreticus formam servaverit ab Ecclesia receptam, id est, baptizaverit *in nomine Patris & filii & spiritus sancti*.

§. 20. Secundo supponit, *Contrahentes voluisse contrahere*

D

juxta

*juxta Legum dispositionem.* Quod exinde porro illustrari potest, quia agere contra præscriptum superioris, involvit malitiam & inobedientiam, hæc autem in dubio non est præsumenda, quia e contrario quilibet tamdiu bonus præsumitur regulariter, donec contrarium probetur. Denique tertio supponit, in casu particulari, nisi de contrario constet, contrahentem non præsumi intentionem suam alligasse aliqui circumstantiae, cui homines communiter & ordinarie eam alligare non conservaverunt.

§. 21. His ita suppositis fundamenti loco, proprius ad rem accedit Haunoldus, dicendo, *antecedenter ad capitulum nostrum contractum matrimonii sub conditione impossibili celebratum nullum omnino fuisse*, Pontificem autem condidisse Legem novam, & sic non interpretatum esse voluntatem contrahentium. *Postquam itaque Pontifex talem legem tulit, contrahentes si aliud (quod illi Legi novæ adversatur) exprimant, censeri, etiam si Leges ignorant, virtualiter & implicite atque primario talem conditionem habere pro non adjecta*, quia volunt primario contrahere juxta Leges latas. Et ideo, addit, hic intervenit reflexa hypothesis & conditio corrigens quodammodo priorem, vel potius exceptiva, id est, adjicio hanc conditionem, nisi si reprobata a Lege, ut non fustineatur, sed rejiciatur & pro non adjecta habeatur. Allegat præter alios tecum facientes *Cardinalem Pallavicinum de actib. hum. d. 4. qu. 2. A. 5.*

§. 22. Satis speciosa hæc sunt & subtilitatibus scholasticis repleta, licet paulo ante ipse Haunoldus rem, circa matrimonium sub conditione impossibili contractum, explicatu per quam difficilem esse fassus fuerit. Quid nos jam ad illa? an respondebimus, an positis armis vitoriam dabimus? quod posterius suadere videtur vulgatum illud brocardicum: *Lex dura, tamen ita scripta. Sed non-*

nondum despondemus animum, quia brocardicum illud  
 eo saltem casu procedit, ubi certum est, Legem duram  
 ab illo latam fuisse, qui potestate Legislatoria indubie  
 gaudet, quod Papæ Romano neutiquam concedimus  
 nec in causis secularibus, nec ecclesiasticis. Acquiescant  
 hac sanctione, quicunque adhuc hodie castra Romana se-  
 qvuntur, neque lucem Evangelicam, quam clara etiam  
 & fulgens sit, agnoscere cupiunt. Nobis, qui jugum An-  
 tichristicum per Dei gratiam semel excusfimus, idem vel  
 simile sine dubio licebit, quod *Philippus IV, Pulcher, Rex*  
*Galliae, Papæ Bonifacio VIII.* (qui alias *Malifactus* optimo  
 jure dictus,) prætendenti, ut *Philippus Regnum Galliae*  
 tanquam feudum sedis Romanae recognosceret, respon-  
 debat: *Sciat MAXIMA TUA FATUITAS* (sit honor  
 Papalis ubique salvus) *nos in temporalibus* (substituimus:  
*in rebus contra sanam rationem & jus divinum impingentibus*)  
*nemini subesse.* Quid? quod non pauci ex ipsis Pontificiis  
 jam agnoverint, nullo plane fundamento rationabili de-  
 cisionem hanc Papalem niti. *Durandus & Sanchez* dicunt,  
 vix posse moraliter occurrere casum, in quo locum illa  
 decisio habeat, quod perinde est, ut advertit *Card. de Lu-*  
*go*, ac si modeste dicere vellent, legem illam invalidam  
 vel certe parum utilem esse. Imo *P. Raphael Aversa* omnes  
 hujus textus explicationes, (licet divergas, ut antea vidi-  
 mus,) admittendas esse dicit, quia in re clara textus est  
 obcurus, *conf. Haunoldus loc. cit. num. 276.*

§. 23. Corruunt ergo sua sponte supposita Haunoldi, si ad præsentem materiam applicantur. Negamus, quod in eo, qui sub conditione impossibili, vel turpi spon-  
 falia celebrat, duæ intentiones contrariæ concurrent, quarum una ex mente Haunoldi esse deberet, quod velit matrimonium inire, altera, quod matrimonium inire  
 nolit.

nolit. Atque sic negamus porro, priorem intentionem; tanquam magis efficacem & primariam, posteriori prævalere debere. Non entis enim nulla sunt prædicata. Quis vero sibi animo concipere potest, eundem hominem uno eodemque tempore eandem rem & velle & nolle, quod nostra quidem sententia nihil aliud, quam meram contradictionem involvit, quæ in homine fauna ratione gaudente nunquam præsumitur. Idem enim esset ac si dixisset: *Volo contrahere tecum, non volo contrahere tecum, sed utrumque.* Una ergo saltē adest intentionis in eo; qui conditionem impossibilem adjicit, quod scilicet sponsalia celebrare serio nolit, sed jocose agat. Exemplum Haunoldi baptizante hæretico desumptum huc non quadrat. Primo enim olet fermentum Pontificium quoad doctrinam de charactere indelebili animæ impresso & infusione habituum supernaturalium, quod nostrates tanquam scripturæ fundamento destitutum merito reprobarunt, vid. Ziegler. ad *Lancell. l. 2. Tit. 2. §. 4.* præcipue cum Pontificii hæc ex mero opere operato fieri afferant, v. *Conr. Dieterici instit. Catechet. loc. de Baptismo qu. 27.* Adeoque falsum est, quod additur, hæreticum nihil minus characterem illum baptizato imprimere & habitus supernaturales infundere, etiam si intentione hæc faciendi destituatur. Deinde vero concedamus Haunoldo & ejus confessionis sociis, dari ejusmodi characteris impressionem & habituum supernaturalium infusionem; Non tamen exinde inferri poterit, etidem in contrahendis sponsalibus esse rationem, quæ in collatione baptismi deprehenditur. Hic scilicet effectus baptismi non à persona conferentis ejusque intentione, sed ab institutione divina dependet, alias enim nemo certus esse posset, an revera baptizatus fuerit, annon, cum forsitan baptizans aliam intentionem haberet; Ast in contrahendis sponsalibus

\* (29) \*

libus tota res ab intentione & consensu contrahentium  
mere & unice dependet, adeoque ab illo ad hæc firmiter  
inserri nequit.

§. 24. Quoad secundum suppositum (v. §. 20.) no-  
tandum est, contrahentes equidem censeri contrahere  
voluisse secundum Legum dispositionem, hic vero illud  
applicari ideo non posse, quia *capitulum nostrum* apud  
Protestantes vim legis habere negavimus paulo ante  
§. 22. unde malitia nemo argui potest, licet juxta illius  
præscriptum actionem non suscipiat. Tertium deniq;  
suppositum (in eodem §. 20.) plane non proficit Haunol-  
do, sed ipsius menti potius oppositum est. Dicit: in casu  
particulari, *nisi de contrario constat*, contrahentem non  
præsumi intentionem suam alligasse alicui circumstan-  
tia, cui homines communiter & ordinarie eam alligare  
non consueverunt; Putamus enim, in casu ejusmodi par-  
ticulari, ubi quis consensum non nisi sub conditione im-  
possibili vel turpi declaravit, abunde satis *de contrario*  
*confare*, & quod contrahens huic circumstantiae intentio-  
nem suam alligare voluit. Quid ergo opus est præsumti-  
onibus, ubi nulla dubietas deprehenditur.

§. 25. Ceterum durities, & si mavis, iniquitas con-  
stitutionis papalis, exinde satis superque patescit, quod  
illa tales personas matrimonio conjungere jubeat, quæ  
tamen mutuo amore destituuntur. Amor adesse nequit  
quia consensus deficit matrimonialis. Hic autem ideo  
deficit, quia res non serio, sed per merum jocum tracta-  
ta. Posset quidem Princeps in contractibus, ubi solum  
de translatione rerum in commercio existentium agi-  
tur, conditiones impossibilis & turpes in pœnam jocan-  
tium tanquam non adjectas declarare, licet melius faci-  
at, si hoc intermittit, per ea, quæ §. 18. circa fin. diximus:

Ast si in causis matrimonialibus ad talia provolaret, Lex lata contra æquitatem omnino impingeret. Conditionem impossibilem adjiciens revera non consentit, sed consentire fingitur jure canonico, ut vult Haunoldus; Ergo nec revera amat, sed amare fingitur. Ergo nec tali casu maritus & uxor eaœtæ coeuntes revera sunt una caro, sed una caro esse saltem finguntur. Ergo nec revera est matrimonium, sed tale esse fingitur. A talibus autem fictionibus libera nos Domine.

§. 26. Sed audio hic aliquem valde murmurantem atque in me acerrime invehentem. Quid vero, inquit, audes homo novaturiens, an vis prudentior esse jure canonico, ipsoque Gregorio IX. Pontifice maximo? an nescis jus Canonicum in causis matrimonialibus præ iure civili etiam apud Protestantes receptum esse? & an ignotum tibi est famolum illud brocardicum, quod ipse Justinianus imperator sedulo inculcat in *l. 27. c. de Testam.* quod mutatum non est, quare stare prohibetur? Annon denique consulueristi DD. approbatos apud Protestantes, qui contrarium te facillime docere potuissent? Evolve loco omnium Carpzovii *Jurispr. Consist. l. 2. Defin. 23.* ubi rem ita decisam reperies: *Conditiones impossibilis*, v. g. si cœlum digitotigeris, vel: si stella aliqua liquefiet & in terram cedebit in favorem matrimonii pro non adjectis habentur, ut rata judicentur sponsalia. (vides eundem favorem matrimonii apud Carpzovium reperiri, quia apud Pontificem erat. v. §. 16.) *Conditiones turpes*, quæ non sunt contra substantiam matrimonii, v. g. si homicidium, aut sacrilegium, falsum aut furtum commiseris, non annibilant sponsalia, sed pariter pro non adjectis habentur. Ideoque sponsalia sub talibus conditionibus contracta pro pure contractis sunt censenda, ut petulantie eorum, qui pudicitia imbecillis sexus infidias struunt, frenum injiciatur.

tiatur. En simul in ultimis hisce verbis novam eamque fortissimam rationem, qua decisio Papalis mirum in modum confirmatur.

§. 27. Permitte vero, Vir iratissime, ut ad gravia hæcce dubia tua, in quantum quidem vires permittunt, respondere animum inducam. Primo a te peto, ne tanto odio novitates & novaturientes prosequaris, cum alias in futuro lacerata tunica, aut atritis calceis tuis, novos tibi iterum comparare illæsa conscientia haud valeas, omnis enim novitas est periculosa. Deinde non praetendo quidem, me esse doctiorem jure Canonico & Pontifice, interim tamen nec crimen involvere persuasus sum, licet quis nœvos juris canonici & Pontificium ostendere tentet. Porro jus Canonicum in decisione caularum matrimonialium receptum quidem est præ jure civili etiam in Confistoriis Protestantium, sed tamen hoc in omnibus indistincte casibus & controversiis non procedit, quod vel explosio doctrinæ de cognatione spirituali & exinde fluente prohibitione nuptiarum apud Pontificios, item doctrinæ de divorcio, quod scilicet matrimonium nunquam quoad vinculum disolvit possit: nec non de non benedictenis nuptiis secundis & plurimarum aliarum ex hypothesi de spiritualitate matrimonii & sacramenti fictione fluentium, abunde satis ostendit. Unde Regulae illi mox subjungere debes limitationem: Est receptum jus canonicum, nisi in quantum juri divino & sanæ rationi refragatur, quod quidem plurimis in locis fieri testatur B. Ziegler. ad Lancell. in dissert. proœm. §. 54. seqq. & §. 67. seqq. Jam vero consensum fingere in re tam gravi, ubi consensus non adest: personas indissolubili vinculo conjugere, inter quas nullus amor deprehenditur, extra omne dubium & juri divino & sanæ ratione adversum est.

Sponte

Sponte sua hinc corruit brocardicum : Quod mutatum non est, quare stare prohibetur ? quia enim Jus Canonum hac parte nunquam fuit receptum , & nusquam statere incepit, ergo etiam, quod adhuc stet, assiri nequit. Quod si probaveris, jus Canonicum & hac parte receptum fuisse, de alia reponsione solliciti erimus.

§. 28. Neque vero nos denique movet autoritas Carpzovii, cum decisione Pontificis se conformantis, & in jurisprudentia sua Confistoriali etiam inter Protestantes conditiones impossibiles & turpes pro non adiectis habendas esse statuentis. Fuit enim haec tenus communis fere nævus Iectorum Protestantium , quod sine delectu doctrinas juris canonici in terris Protestantium applicare voluerint . sacris etiam literis & sanæ rationi contrariantes, quod sine dubio exinde provenit , quia ICti corporibus juris civilis & canonici contenti , omnem in illis sapientiam latitare , & simul extra circulos suos esse credebant, ut constitutiones itidem contentas vel ad sacræ scripturæ , vel ad sanæ rationis amissim examinarent. Sed quemadmodum hic nævus nostris temporibus satis detectus est , & præterea erronea Carpzovii aliorumque opinio pro receptione venditari nequit , quia nemo recipiendi potestatem ipsis concessit , ergo non tam videntum est , quid Carpzovius dicat, sed qua ratione hoc dicat. Ast affert tamen & rationes ; ita est, ac prima quidem iterum favorē matrimonii crepat , quæ supra §. 16. jam refutata. Altera autem, ut petulantie eorum, qui pudicitia imbecillis sexus insidias struunt, frenum iniciatur, iterum plane nullius est valoris. Non enim comprehendimus, quomodo per adjectiōnēm conditionis impossibilis aut turpis pudicitiae imbecillis sexus insidiae struantur , & si struerentur , idem sine dubio de conditionibus impossibilibus,

bilibus, quæ cum substantialibus matrimonii pugnant, dicendum foret. Utrobique autem iterum non reprehendimus consequentiam: Petulantiae frenum est injicendum, ergo hoc modo plane irrationali fieri debet, alia enim habentur frenorum genera, quibus talis malitia & petulantia probe coerceri potest. Et si ob petulantiam talem matrimonium penæ loco injungendum esset, sine dubio omnisi stuprator eam, quam stupravit, uxorem ducere deberet, haec enim maxima est petulantia eorum, qui pudicitiae imbecillis sexus infidias strunt. Sed ita tamen non observatur in praxi, nisi promissio matrimonii accesserit, adeoque illum medium terminum ad inferendam eam conclusionem non sufficere palam est, v. omnino Excell. Dn. Thomasi in Disp. de valid. conjug. invit. parent. contract. §. 8. inf.

§. 24. Hactenus rationibus pugnavimus, quæ sufficiere possent, nisi orbis ita fascinatus esset, ut plus ferè autoritatibus, quam firmis argumentis tribuat. Ergo nos mori recepto accommodabimus atque testimonio Virorum celeberrimorum evincemus, nostram sententiam ne quidem novam, nedium falsam esse. Ex Theologis unum sufficit nominasse D. Gerhardū, qui in *Loco de Conjugio* §. 133. hypothesin nostrā triplici hac ratione confirmat, (1) quia nulla apparet ratio, cur in sponsalibus naturam testamenti potius, quam contractuum sequi velimus, (*vid. supra* §. 17.) atque cur illud, quod ex speciali quadam ratione in testamento receptum, hic sit in consequentiam tradendum. (2) Quia impossibilem conditionem addens, potius ludere atque jocari videtur, quam de perpetua & indissolubili vita conservetudine disponere, ac animum se obligandi habere. (3) Quia ejusmodi joci inter juvenes

E

ac pu-

ac puellas crebro agitari consueverunt, ex quibus si ori-  
ri statuatur efficax obligatio, multa fient matrimonia  
infelicia. Unde recte dicit *Duaren. de condit. impossib. P. 4.*  
*C. 6. n. 4.* nec Ecclesiam efficere posse, ut id, quod matri-  
monium non est, ob defectum consensus pro tali habe-  
atur.

§. 30. Quantum ad *Jureconsultos* attinet, ex multis  
sequentes laudare satis erit. *B. Brunnemannus* postquam in  
*Jur. Eccles. I. 2. c. 16. §. 14.* sententiam DD. de intellectu  
capituli nostri recensuit, tandem mentem suam sequentem  
in modum explicat: Sed melius forte alii plane illud cap-  
itulo, quatenus de conditione de facto impossibili lo-  
quitur, ut ineptum rejiciunt, cum fine consensu sponsa-  
lia contrahi nequeant. Et si vero Beatus vir de condi-  
tione facto impossibili tantum loquitur, eadem tamen  
intuitu conditionis turpis subest ratio, ut quilibet facile  
advertisit. *Illustris Dn. Strykius in Tr. de Diffens. Sponsalit. Sec. 2.*  
§. 20. hac de re ita differit: Cum ex principiis juris ca-  
nonici placitisque Pontificium opiniones quedam irre-  
pserint in Consistoria Evangelicorum, non sine censura  
haec prætermittenda hic erunt. Et quidem cum ex se-  
ria animorum consensione exterius declarata obligatio  
nascatur sponsalitia, eaque propter, ubi nulla consensio,  
ibi & nulla desponsatio locum inveniat, potestati Ponti-  
ficis alteriusve Magistratus Politici relictum non esse  
censeo, illum actum pro despensatione reputare, qui ma-  
nifestam dissensionem continet. Quippe substantias re-  
rum fundamento diviri juris nitentium invertere, non  
est humani arbitrii. -- Porro, *pergit*, id quoque extra du-  
bitum esse reor, omne negotium, quod mero agentium  
consensu absolvitur, suspendi posse in qualemcumque e-  
ventum a partibus expressum: cui enim liberum est, ne-  
gotium

negotium aliquod plane intermittere, illi quoque liberum in qualemcumque eventum suspendere consensum, & imputet sibi pars altera, quod tales conditiones admisserit, puramque promissionem non usurperit confessim\_. *Applicat jam proprius h.ec Vir illustris in §. 21.* His ita suppositis, *inquit*, apparebit illico, quid sentiendum de sponsa matrimonium promittente, *si sponsus mare exhauscerit, vel cœlum ascenderit*. Quis unquam remotis Canonistarum principiis hic in sponsa consensum sponsalitium adesse dixerit. Numne revera idem est, ac si regessisset sponsa: sicut impossibile tibi est, immensum pelagus exhaustire, ita impossibile tibi est, meis potiri amoribus. Eadem de conditionibus jure impossibilibus asserit in §. 23. scilicet, quod sicuti contractus sub conditione turpi initus obligationem non producit, ita nec sponsalia subsistant, sive conditio illa turpis invertat matrimonii substantiam, sive aliud quoddam scelus respiciat, matrimonii substantiam non concernens, e.g. *Ducam te, si patri substraxeris mille, vel si Mevium occideris*. Collimat huc quoque *Excell. Dn. Thomasius in Disib. de validitate conjugii invitis parentibus contradi & per benedictionem sacerdotiis depositi consummati, (quæ est inter Disputationes Lipsientes ultima) §. 8. circ. fin.* Hanc differentiam, *inquit*, (scilicet inter conditiones illas diversas) jus canonicum in favorem matrimonii introduxit inconvenientissime, ut arbitror, in tantum, ut commode hoc trahere possumus Constitutionem Trajanæ de privilegiis testamenti militaris § 1. *J. de milit. testam.* verbis solum quibusdam paululum immutatis: *Is favor, qui matrimonio datus est, ut quoquo modo declarata voluntas contrahentium rata sit, sic intelligi debet, ut utique prius constare debat, matrimonium contrahentes in re voluisse.* Ubi enim nullum matrimonium est, nec favor matrimonii erit. Jam,

uti, qui sub conditione impossibili contrahit, ludere voluisse censendus est; ita etiam, qui quid promittit sub conditione turpi, quum quilibet, qui recta ratione gaudet, cognoscat, eam haec tenus impossibilibus ob LL. prohibitionem æqui pollere. Sed considerasse videtur jus Canonicum matrimonium ut rem per se subsistente, vel certe ex errore à Nostratisbus rejecto, quod matrimonium sit sacramentum, istum favorem, ut multa alia in hac doctrina contra rationem invenisse. Adde omnino Stru-  
vium in Synt. jur. Crv. Exerc. 29. tb. 6. § 7.

§. 31. Hæc ergo cum tam clara sint, ut à nemine justè in dubium vocari queant, iterum non comprehen-  
dimus, qua ratione Carpzovius Ipr. Conf. l. 2. Def. 21. ge-  
neraliter afferere potuerit, *sædus matrimonii sanctissimum,*  
*non tam à contrahentium consensu quam Dei voluntate & auto-*  
*ritate dependere.* Admitteremus hoc, si de dissolutione  
matrimoni per mutuum dissensum solummodo locutus  
fuisse, quo pertinet locus ab eo allegatus Matth. 19. vers. 6.  
sed de constitutione matrimonii id omnino negamus.  
Deus enim homines invitos conjungi nusquam iussit,  
sed potius prohibuit. Salvator loc. cit. dicit, *was Gott*  
*zusammen gefüget hat / prævio scilicet serio consensu con-*  
*trahentium, das soll der Mensch nicht scheiden / sed non*  
*dicit, was nicht zusammen will das füget Gott dennoch*  
*zusammen.* Neque videmus, quomodo hæc cum illis co-  
hæreant, quæ Def. 19. afferuerat, *Sponsalia jocose contracta*  
*non subiçtere nec ligare*, quia consensus est causa matrimo-  
ni & sponsaliorum efficiens, & paulo post. num. 9. § 10. quia  
nulla alia exististit obligatio & conventio, quæ majorem  
deliberationem & consultationem ac dexteritatem requiri-  
t, quam negotium & causa matrimonii, quippe quod  
*est conjunctio & communicatio animæ, corporis & bono-*  
*rum*

rum, quæ omnia hoc vinculo in unum coalescunt, *Job.*  
*Harpprecht ad rubr. instit. de nupt. n. 110. seqq.*

§. 32. Interim tamen non absimus à sententia eorum, qui dicunt, in ejusmodi casibus respiciendum esse, annon aliqua tractatio sponsalitiae præcesserit, vel aliae conjecturæ vel circumstantiæ concurrent, ex quibus animus sponsalia ineundi quadantenus elici poscit, quibus concurrenitibus & prudentis Judicis arbitrio accedente pro talibus sponsalibus, rejecta illa conditione; pronunciari potest, *Bechstad. de condit. sponsal. p. 1. c. 5. 9.* allegatus ab *Illustr. Dn. Strykio in not. ad Brunn. jus Ecclesi. l. 2. c. 16. §. 14. verb. sed melius forte alii.* Et hoc referendum esse censemus Decretum Consistorii supremi Dresdensis, quod refert *Carpzov. d. Def. 23.* & hujus tenoris est: *dieweil Beklagter nicht in abrede/dass er auf vorhergehendes beyschaffen zur Klägerin gesaget/wenn sie auf einen andern bekennen würde/dass er sie zur Ehe nehmen wolte/Klägerin aber der angehefteten Bedingung keines weges geständig/folche auch an ihr selbsten (concurrente scilicet hac circumstantia) richtig und unerheblich; So ist beklagter Sie nunmehr zu ehelichen schuldig/oder wird dazu von der weltlichen Obrigkeit durch gebührende Mittel compellir et und angehalten/ V. R. W.* Hic enim recte applicari posse censemus eam rationem, (*vid. supra §. 28.*) *petulantiae eorum, qui pudicitie imbecillit; sexus infidias struunt, frenum injiciendum esse.* Neque potest hic provocari ad jocum, cum factum hoc casu potentius operetur, quam verba, *dass war ein bisschen zu grob gescherzt.* Facit huc dispositio juris canonici, vi cuius, si quis contraxit sponsalia de futuro cum aliqua & eandem post fidem datam cognovit, deinde autem fidem de præsenti dedit alteri, priorem sponsam recipere cogitur, quia sponsalia de futuro propter copulam subsecutam transe-

unt in matrimonium, ac jus Canonicum præsumtione juris & de jure præsumit, quod consuetudinem cum sponsa priore habuerit animo contrahi cum eadem matrimonii, v. c. 15. X. de sponsal. & Matrimon. & Dessel. in Erotemjur. Can. ad d. 4. qv. 6.

§.33. Quid jam de eo casu censendum, si quis virginem ducat, sub ea conditione, si ex ea libros suscepere, id est, silla certo promittere posse, se non fore sterilem? Turpis sane haec conditio non est, cum finis matrimonii primarius semper sit, aut saltern esse debeat, liberorum procreatio. Impossibilis tamen est, cum tale quid promittere omnes vires humanas transcendat, & liberi ex mero Dei dono proveniant. Idem est, si virgo hanc conditionem sponsalibus adjiciat. Unde uxor vel maritus alteri jure occinere posset, mutatis mutandis, quod Jacobus Raheli suæ respondebat Genes. 30. v. 2. Bin ich doch nicht Gott / der dir deines Leibes Frucht nicht geben will. Et haec non modo in privatis, sed in ipso etiam Principe obtinent. De jure naturæ quidem ita convenire posset: *Duco te, sed si intra triennium, &c. liberos enixa non fueris te iterum de relinquere mihi liberum erit*, quoniam ex solo rationis lumine indissolubilitas vinculi conjugalis non appareret; Sed postquam sacræ literæ nos docent, Deum velle, ut matrimonium sit societas perpetua & indissolubilis, Matth. 19. v. 6. & 8. nec Principi, nec privato, nequidem ejusmodi conditionem resolutivam adjicere licet, quia & Principem haec lex ut divina universalis positiva firmiter obligat. Aliud autem, si ita contrahatur: *Duco te, modo non sis impotens, aut nimis arcta*, hoc enim jam taciteinerat promissioni, & ad essentiam matrimonii pertinet, adeoque etiam expressis verbis liceat adjicere, ac si postea hoc impedimentum appareat, matrimonium non quidem rescinditur proprie, sed potius nullum declaratur.

§.34. Ali-

§. 34. Alius est casus notatu dignus, si quis ducat aliquam, quae diversa Religioni additâ, v. g. Lutheranus Pontificiam vel Reformatam, & vice versa, sed sub hac conditione: si Religionem sponsi amplexa fuerit. Quæritur scilicet, ad quam conditionem classem hæc referenda, an ad honestarum, an turpium? Silent hic Leges matrimoniales & quantum quidem nobis constat, nec DD. hac de re aliquid statuunt in terminis. In materia tamen ultimarum voluntatum hanc quæstionem ab omnibus tractari viideas: *An conditio mutande Religionis heredi adscripta effectum habeat, an vero pro non adiecta reputetur?* quod posterius communiter afferi solet, v. Lauterbach. Comp. jur. tit. de condit. & demonstr. ab mit. Struv. S. I. C. Ex. 33, th. 50. ex ratione quod turpe fit, propter lucrum & commodum temporale ad mutationem Religionis provolare, ubi ad arg. l. 8. ff. de condit. instit. fere omnes recurrent. Ergo, si hæc DD. vestigia sequi vellemus, sine dubio conditionem illam in nostra quæstione ad turpium classem referre & sponsalia effectu carere affirmare deberemus; sed nobis illa opinio dubia & incerta videtur, adeoque pace dissidentium contrarium tueri tentabimus. Ante omnia autem constare debet, quid ICris turpe dicatur, quid honestum. Ubi in eo omnes consentire existimamus, honestum illud dici, quod Legibus promulgatis & receptis consonum, turpe autem, quod illis Legibus adversatur, adeoque, si nihilominus committitur, pœnam post se trahit indubitatam. Jam vero, si Leges imperii nostri fundamentales percurrimus, præcipue vero transactionem Passavensem, Pacem Religiosam & Pacificationem Osnabrugensem evolvimus, tres illas Religiones, Reformatam, Lutheranam, Pontificiam, æquali jure & libertate frui deprehendimus, nec quenquam pœnam subire debere, qui ab una ad ali-

ad aliam transit. Si ergo mutatio Religionis in ipsis Legibus publicis inter res licitas refertur, non videmus, qua ratione conditio mutandae Religionis conditionibus turpibus accenseri poscit. Conditio quippe nomen honestae aut turpis exinde sortitur, prout res, cuius praestationem in se complectitur, honesta vel turpis, id est, Legibus vel permissa, vel prohibita est. Dicit quidem Struvius loc. cit. Religionem non ut aliud factum injungi posse; sed hoc tantum in eo casu procedit, si invito Religio coacte injungatur, quod si enim arbitrio alterius relinquitur, an mutationem illam suscipere velit, annon, & mutatio juxta ea, quae diximus, est de genere licitorum in foro humano, nil vetat, quo minus & hoc factum alteri injungi poscit. Argumentum ex l. 8. ff. de condit. instit. depromptum est plane impertinens, quia illa lex non de mutatione religionis, sed temerario & frustraneo juramento, cuius praestatio heredi injuncta erat, loquitur. At vero temerarium & frustraneum juramentum Leges nostrae inter res licitas & permisas nunquam referunt. Instat porro Struvius: utraque quidem Religio toleratur quoad civilia sed conditionem ejusmodi, ut is, qui colit hanc religionem, eamque pro vera habet, aliam amplectatur, hereditatis consequenda causa adjicere turpe est; Sed hic aperte circulus committitur. Thesis erat: Conditio mutandae Religionis causa non potest adiici, quia turpis est: Objiciebatur: Toleratur tamen utraque religio, adeoque talis conditio turpis non est: Regeritur: Toleratur quidem quoad civilia, interim tamen si adiicitur conditio mutandae Religionis, ea nihilominus turpis est. Vides probari thesin, non autem responderi ad argumentum. Seu potius: probari idem per idem. Causa autem, quae DD. ad hanc opinionem permovit, haec fuisse videtur, quod non accurate observaverint distinctionem inter forum internum & externum

ternum, aut, si ita mavis, *inter mutationem Religionis ob com-  
modum aliquod & lucrum, theologicē & juridice consideratam*. In  
fōro interno & theologicō respectū, conditio mutandae  
religionis omnino turpis est, non tamen in fōro externo  
& respectū juridico. Agnoscent hanc distinctionem ipsi  
DD. in aliis controversiis, v. g. quando quæritur: *an Lu-  
theranus filium, qui ad castra Pontificiorum transiit, tanquam hæ-  
reticum exheredare possit?* & vice versa: ubi negative re-  
spondent, ex ratione, quia neutra harum religionum, ju-  
ridice & in fōro exteriori consideratarum, pro hæreti-  
ca habenda, sed quælibet orthodoxa sit, quamvis in con-  
sideratione Theologica contradictionem involvat, tres  
dari sibi oppositas orthodoxias, adeoque Theologi Lu-  
therani Pontificios, & hi illos, in Compendiis suis semper  
in Catalogum hæreticorum referant. Quænam vero,  
*inquis, jurisprudentia illa est, quæ aliquid permittit, quod*  
Theologicē turpe habetur; Respondemus, hoc ideo fit,  
quia plurimæ res ita comparatae sunt, ut Judex eas emen-  
dare nequeat; sic v. g. male cogitationes, affectus, deli-  
cta leviora, omnino in fōro divino maximum reatum  
involvunt, in fōro humano tamen cognitioni non sunt  
subjecta. Sic etiam negotia Religionis supra circulum  
potestatis civilis sunt. Christianus reputatur, qui for-  
mulae nostræ addictus, adeoque omnibus privilegiis Chri-  
stianorum in fōro humano gaudet, licet theologice con-  
sideratus a regeneratione & sanctificatione longissime re-  
motus ab sit. Ita etiam circa dissentientes in Religione,  
qui in Rep. tolerantur, quibus Judex omnibus se parem  
præbet & controversias ipsas Doctoribus eorum discuti-  
endas relinquit.

§. 35. Neque, ut ad conditiones impossibilis & vere  
turpes revertamur, iste casus est prætermittendus, qui

F

non

non raro in ipsis rerum argumentis obtinere solet, quando scilicet duo rivales eandem sponsam ambient, & hæc quoque erga utrumque eundem affectum sovet, ac propterea nuptias illi promittit, qui in duello hunc in finem a rivalibus suscepso superior est evasurus. Quæritur enim, an ex hac promissione firmum jus consequatur, qui viatoriam ex duello reportat, vel annon liberum sit virginis, ut vel ante, vel post duelli exitum iterum a promissione recedere valeat? Ad cuius quæstionis decisionem supponendum est, duella privata esse ex genere eorum, quæ in statu civili ab omnibus Legibus generaliter improbantur, etiamsi specialis constitutio deluper non fuerit promulgata. Ex quo statim apparet, conditionem: *Nubam tibi, si in duello superior evaseris*, contra Legum dispositionem adjectam fuisse, eam turpitudine laborare, adeoque obligationem plane nullam producere. Et ut eo clarius pateat fundamentum decidendi, quæritur: an ex facto illicito aliquis actionem consequi possit? hic vero sine dubio negativa est amplectenda. Ergo nec ex duello suscepso jus cogendi virginem ad nuptias ineundas oriri poterit.

§. 36. Ceterum, nihil interest, utrum conditions impossibilis & turpes conferantur in eundem ipsum, cum quo nobis negotium est, an vero in tertium aliquem, v. g. duco te, si Titius in lunam ascenderit, aut, si Caius Sempronius valde vulneravit. Idem enim fundamentum posteriori casu militat, quod priori consensum promittentis excludi. Scilicet qui conditionem impossibilem vel turpem alteri contrahentium injungit, jocatus esse censetur. Cur vero ita censetur? quia novit, vel credit, hanc conditionem alterum non esse adimpleteurum. Et ergo qui in tertium quandam conditionem talem confert, itidem jocatus esse censetur, quia & hic novit & credit, eandem tertium non

non esse adimpleturum. Nec obstat; licet supponere velis, tertium, in quem collata est conditio, esse hominem iracundum, eudemque Sempronio jam minatum esse, ut adeo probabiliter credere potuerit promittens, eum minas suas esse executurum, & per consequens conditionem adiectam adimpleturum; Bene enim dicis, promittentem *probabiliter* tantum credere hoc potuisse, probabilitas autem se resolvit in duo hæcce: *forte id faciet*, & *forte etiam non faciet*. Quia vero quilibet pro se habet præsumptionem bonitatis, quod delictum non sit commissurus, sine dubio promittens eo inclinavit, quod credidit posterius, *tertium hoc forte non esse facturum*, ergo iterum jocum adsuisse advertis.

§. 37. Sed quid, si conditio ab initia quidem possibilis fuerit sed ex postfacto impossibili facta sit? Leges Romanæ hic distinguunt: an impedimentum impossibilitatem afferens provenerit à facto hominis, an vero à casu. Si prius, v. g. dixit alter, duco te, Titio centum dederis, Titius autem ea accipere recusat, ut adeo invito beneficium dari plane non posse, sed ex possibili fiat impossibile, conditionem pro impleta habent: Sin posterius, si scilicet Titius, cui centum dari debebant, absens sit, & ante redditum item obeat supremum, non habetur pro impleta illa conditio, sed promissio evanescit, v. l. 3. ff. de condit. insit. l. 11. eod. l. 4. C. de condit. insert. tam legat. quam fideicommiss. l. 31. ff. de condit. & demonstrat. ibique Brunneman. Idem ergo videtur in præsenti materia amplectendum esse. Verum enim vero cum allata dispositio juris Romani tantum de conditionibus ultimis voluntatibus adiectis loquatur, adeoque quantum ad conditiones sponsalibus adiectas Leges fileant, insuper hac parte inter ipsos veteres I<sup>C</sup>Tos offensiones fuisse clare evincat *Exc. Dn. Thomas. in cit. Disp.*

*de filiosan. sub condit. instit. c. 2. §. 26. ad 35.* unde etiam nonnulli ex DD. utroque casu, sive conditio impedita fuerit factio adversarii, sive casu, eandem pro impleta habendam esse existimant, v. *Lauterb. comp. jur. tit. de pacl. p. m. 52. ab init.* Hinc argumenta illarum Legum ad praesentem casum non trahenda, sed illam ex ratione, quam alias suppeditare solent interpres, uniformiter deciderandam esse arbitramur. Ratio autem illa haec est: Scilicet si conditio impediatur factio ejus, in cuius persona adimpleri debebat, nil posse imputari ei, qui ad impletionem obstrictus erat, quia fecit, quantum in ipso fuit, ut adeo iniquum esset, eum propter alterius factum damnnum incurrere; at vero eadem subest ratio, si casu impletio conditionis impediatur, paratus enim & hic fuit is, cui conditio adjecta, ad implendam eam, adeoq; nec hic reperitur, quod ipsi imputari queat. Et putamus hic consentientem habere *Sruvium Exerc. 33. th. 57.* ubi in fine ita dicit: Id vero notandum, quod aliquando penes ipsum non sit, cui injunctum, ut impleat, ut si casu impediatur, & tunc pro impleta vel impossibili (ex natura ultimae voluntatis) habetur conditio.

§. 38. Quæritur porro quid juris: Si is, qui in sponsalibus conditionem impossibilem vel turpem adjicit, eandem postea remittere velit? Domitiana videtur quæstio, cum res expedita sit, altera scilicet parte, quæ prius adjectione istiusmodi conditionis à spe matrimonii excludebatur, læto animo sine dubio hanc remissionem jam acceptante & sic pura nunc porro sponsalia celebrante. Sed potest tamen aliis casus evenire, ut inter domitianas quæstiones haec referri neutquam mereatur. Quid enim, si eodem tempore, ubi alter conditionem remittit, altera voluntatem mutasset, quæritur, an jam ad matrimonium compelli.

pelli posit? Videtur quod sic, quia negotium ab ipsius parte non fuit sub conditione suspensum, sed purum, adeoque perfectum; sed videtur saltem ita. Sponsalia perficiuntur consensu *utriusque contrahentium*, & hic consensus simul adesse debet. Virgo itaque, quæ pure consensit, obligata quidem fuisset, si juvenis eodem tempore consensum purum declarasset; sed quia hoc non fecit, negotium irritum, factum fuit, atque adeo, si postmodum pure contrahere velit Juvenis, res ab ovo iterum reasfumenda est & nova sponsalia celebrari debent, ad quæ nemo invitus compelli potest. Imputet sibi juvenis, quod non statim negotium ad finem perduxerit, sed illud potius loco suo impediverit. Quemadmodum ergo, si donatarius non statim donationem acceptat, donanti integrum manet, animum mutare suum, neque adigi potest, ut ante promissa præstet, licet ex postfacto donatarius ad acceptiōnē promptus sit paratusque: ita & in hac materia jus penitendi virginī denegari minime potest.

§. 39 Id denique dubium habere videtur: *An is, qui conditionem turpem adjecit, (de impossibili natura enim casus non est dabilis) ad consummandum matrimonium compelli possit, si alter eam impletat?* quam quæstionem ex præcedentibus facile decidi posse existimamus. Adjiciens talē conditionē jocatus esse censetur, alter v. per turpe factum, quod commisit, naturam negotii mutare, aut ex delicto actionem consequi non potest. Non itaque per hoc insperatum implementum sponsalia ab initio nulla validitatem consequuntur.

§. 40. Voto tandem finienda disputatio est, precando, ut omnes & singuli, qui matrimonia ineunt, præcipue autem Christi nomine exauctiorati rem, ut seria est, ita & serio tractent, & ab omnibus cavillationibus, fraudibus &

\* (46) \*

jocis sibi temperent , sic enim fiet , ut nec iCtorum de  
hac materia scribentium libros , nec nostram quoque  
Dissertationem evolvere & in consilium  
adhibere necesse habe-  
ant.

SOLI DEO GLORIA



## COROLLARIA.

### I.

**T**rita quidem inter Doctores juris naturalis, sed simul utilissima est quaestio: *An detur jus gentium juri naturae contradistinctum*, & deinde, unde illud *jus Gentium* fundamentum obligandi accipiat? Nos, quemadmodum priorem quaestionem negamus, ita, ut ad posteriorem respondeamus, necessitatem efflagitare non censemus.

### II.

Somnia ergo sunt, quæ de lege pacti afferri solent. Pactum enim non per se obligat, sed quia Lex naturæ jubet, pacta servari debere. Si ergo *jus Gentium* pacto originem suam debet, nihil aliud est, quam conclusio ex juræ naturæ. Sed ideo peculiaris juris species non constituenda. An enim recte dici putas, si quis *jus Titianum* & *Mevianum* juri naturæ & civili contradistinctum statueret, adeo, quia *Titius* & *Mevius* ex pacto *jus acquisiverunt*, vel ex eo obligantur.

### III.

Neque etiam omnes Gentes unquam pacto se obstrinxerunt. Non expresso, de hoc enim & sacra & profana historia tacet. Nec etiam tacito, quia nullum factum doceri potest, ex quo tale quid necessatio inferendum,

4. Sed

IV.

Sed quid si aliquis probare posset : Promulgasse aliquando Imperatorem, aut alium Regem mandatum inque eodem ceteris Principibus & Regibus aliquid pro imperio injunxisse , hos autem tali mandato non contradixisse , annon ex hac taciturnitate colligi poterit , ceteros Reges se haec tenus Imperatori aut Regi illi subjecisse , adeoque jure Gentium obstrictos esse, ut in posterum eidem quoq; pareant

V.

Nos vero ejusmodi mandatum non magis in rerum natura esse credimus, quam ICtorum Romanorum Hippocentaurum. Et quamvis esset , taciturnitas tamen non inferret subjectionem. Quid enim , si Titius Mevium prohiberet , ut ab usu rerum propriarum abstineat , & Mevius huic prohibitioni non contradiceret , an Mevium Titio obligatum esse credis ex taciturnitate ? Nos illud haec tenus concipere non potuimus. Tacuit enim Mevius salvo jure suo.

VI.

Optime ergo forsan quis diceret : Multos jus Gentium crepare , sed quid illud sit , penitus ignorare.



Halle, Diss.) 1701 (Br/R)

ULB Halle  
001 513 001

3



56



# Farbkarte #13

	Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue	Inches	Centimetres
8											
7											
6											
5											
4											
3											
2											
1											
0											

B.I.G.

MENTER ANNUENTE!

# DITIONI- ONSALIORUM SSIBILIBUS,

Von  
edingungen bey Verlobnissen/  
n. X. de condit. appos.

MAGNIFICENTISSIMO,  
A PRINCIPE AC DOMINO,

D.N.

CO WILHELMO,  
ELECTORATUS BRANDENB.  
VINCIARUM HÆREDE &c.  
ACADEMIA FRIDERICIANA,  
blice disputabunt  
PRAESES  
FRIDER. LUDOVICI,  
um Licentiatus,  
&  
RESPONDENS  
RICVS RICHARDVS,  
achia - Waldeccensis,  
An. M D CCI. horis locoque consuetis.

JOPH. ANDREÆ ZEITLERI b Acad. Typogr.

C.22. n.

11.

23